



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Mercantia solius lucri gratia exercitata vitiosa est & vituperabilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

non pertingat ad peccati mortalis perfectionem tripliciter. Vel propter imperfectionem actus ex parte dicentis: ut in primis motibus contingit propter non deliberatè consentire. Vel propter imperfectionem actus ex parte nocenti: ut in minimis contingit. Vel propter imperfectionem actus ex parte formę: ut contingit in detractione non animo detrahendi, & similibus: ita quòd mentiens in materia perniciofa (puta in scientificis) non animo nocendi alicui, sed ex loquacitate non putans inde aliquem notare & concipere falsam doctrinam, quia non formaliter dicit perniciosum, non peccat mortaliter: nisi nocumētum sit adeò notabile, ut peccatū redeat in naturam suę formę. Et scito perniciosum esse mendaciū, omne mendacium circa sacram scripturam, omne mendacium circa scientifica, pro quanto sunt bona intellectus, & omne mendacium prædicatoris cōtra veritatem spectantem ad prædicatoris officium: & similiter omne mendacium iudicis contra veritatem spectantem ad iudicis officium: quoniam hæc tantum sunt prædicatoris ut sic, & iudicis ut sic, mendacia: reliqua sunt per accidens, & ideò venialia: nisi ratione scandali aliud occurrat censendum.

*Mercantia solius lucri gratia exercitata vitiosa est & vituperabilis.*

**M**ercatura nuda, hoc est solius lucri gratia, vituperabilis est, utpote infinita, ac per hoc insatiabilis. Ordinata autem ad finem politicum (hoc est civitatis bonum) vel ad finem œconomicum, hoc est domesticum bonum, laudabilis est, si iniustitia fraudum, mendaciorum & huiusmodi desint.

*Meretricium semper est peccatum.*

**M**eretricis turpitude, siue venialis sit, siue nõ peccatum est mortale. Et quoniã multas implicat criminum